Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Svmmarivm Homiliæ Vigesimæprimæ Seqventis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

ſum fortium diligentia, prudentiaque circumcinctus. O viros fortiſſimos, inuictos milites, zeloſos Moyſes! ô fabros potentiſſimos hoſtium fidei terriculamenta. Liceat mihi vobis hoc præludere, quod olim prudentiſſimâ Abigail Dauidi Duci fortiſſimo: *Faciens faciet tibi Dominus Domino meo domum fidelem: quia prœlia Domini, Domine mi, tu prœliaris.* (1. Reg. 25. 29.) Conatibus veſtris adſpiret Deus, regimen det perpetuum, poteſtatis, authoritatiſque largiatur incrementum, augeat maieſtatem & pro zeli qualitate locum tribuat honorabilem: Dei namque cauſam agitis: *Prœlia Domini*: eius honoris, fidei, veritatis Sacramentorum, Diuinitatis. SS. Trinitatis, vnitatis, gloriæ cœlique defenſiua. Hæc veſtra ſunt prælia hæc certamina, Dei honorem illæſum conſeruare ne Deus introeat alienus, aduigilare, ne eius deprauetur veritas, maieſtas minuatur, fides diſſipetur ſcientia, perdatur, Eccleſia ſponſa chariſſima violetur. Vos Deus conſeruet, vt extollat in mille millia, & Duces extollat fortiſſimos: Veſtra quoque ſollicitudine vos Deus protegat incolumes, in fide integra, cognitione ſecura, certa veritate, non diſſolubili vnitate, pace ſpiritus, quatenus, dum illi hic fide viua, diuina adſpirante gratia ſeruimus alacres, illo gaudentes in gloria perfruamur, Amen.

SVMMARIVM

HOMILIÆ VIGESIMÆPRIMÆ SEQVENTIS.

HOMINVM in Deum malitiam hodiernum prodit Euangelium, quia qui grati eſſe debuerunt, querimoniis omnia complent. *a.* Sex diſtinguitur articulis. (a §.1.) Primus: querelas exponit Nazarenorum Saluatori propoſitas, quòd patrios ſimilibus donis, quibus alienigenas, non cumularet. *b.* (b §.2.) Secundò: declaratur, potiori iure Chriſtum de ſuis potuiſſe ciuibus conqueri, cum enim illos maioribus auxiſſet officiis, quàm alias ciuitates parum eſt quòd paribus illi ſtudiis non reſponderent grati: ſed & grauioribus laceſſunt iniuriis. *c.* In tertio probatur, quòd licet Redemptor noſter reſpondere potuiſſet, (c §.3.4. [illegible]) ſtultas eorum & ſine fundamento probans eſſe rationes. *d.* ſuperſedet tamen, ſed eodem reſpondet argumentandi genere, illos redarguens, ([illegible]) illorum peccatis adſcribendum, quòd illis miracula nulla parcus, aliis verò patraret plura liberalis. *e.* Continet quartus probationem, quòd illi naturæ ſtatuta tranſgrediantur, ([illegible]) nam qui præ cæteris ciuitatibus eius debuiſſent exiſtimationi conſulere, eandem ipſi præſtringerent detractores, quo fluenta miſericordiæ eius conſtringebant. *f.* ([illegible]) Commune peccatum patriæ Prophetarum, inuida ſuperbia progenitum. *g* ([illegible]) Quinto: confirmat hoc Chriſtus duorum exemplo prophetarum Eliæ & Eliſei, quos municipes inhonorarunt, ſed receperunt, coluerunrque Gentiles. ([illegible]) *h.* Sextus eorum ſugillat peruerſitatem qui Chriſti reſponſo grauiter irritati, præcipitio eum collidere tentarunt, quo ſe in illum oſtendunt ipſis crucifixoribus eſſe multo nequiores. *i.* ([illegible])

§. 1 *Sequuntur ſæpe homines hoc dictum* (Ladronij voz maior:) *latro & tu peior: cum enim poſſet Deus conqueri, ipſi Deo conqueruntur.*

§. 2. Vtique dicetis mihi. *Strictior incumbit obligatio conterminis benefaciendi, quàm peregrinis, & patriæ, quàm exteris regionibus.*

§. 3. Quanta audiuimus. *In patria ſua beneficium, non in ea Chriſtus cœpit pa-*

trare

træ miracula.

§. 4. *Fama miraculorum apud alienigenas patratorum ſuam voluit Chriſtus præparare ciuitatem, ſicut cum populo ſuo fecerat, cum Aſia & Bithynia.*

§. 5. *Miris vtitur Chriſtus ceremoniis quoad librum S. Scripturæ.*

§. 6. *Veniebat Chriſtus in fiſcella ſcirpea, & patriæ ſuæ ſe manifeſtat maiori beneficio quàm cæteris omnibus.*

§. 7. *Sui Chriſtum offenderunt patriotæ, eius familiam, vt pauperem deſpicientes: quod in mundo eſt frequentiſſimum.*

§. 8. *Iniuriis Chriſtum laceſſunt: quia quod illum pauperem notarunt, nihil de illo magni crediderunt, contra ſtatuta medij ſicli.*

§. 9. Amen dico vobis. *Euidenter probat Chriſtus, quod ipſe ſit, qui merito de ſuis poſſit ciuibus, non illi de ipſo conqueri.*

§. 10. *Nullam ad Chriſti miracula habebat Nazareth actionem, quorum acceperat à Patre poteſtatem.*

§. 11. Fac & hic. *Iuſtorum iudicium æquale eſt, ex operibus iuſtitiæ trahendo exemplar.*

§. 12. Fac & hic. *Iudicium peccatorum ſtultum eſt, iuſtitiam prætendendo in eo, quod meræ eſt gratiæ.*

§. 13. *Ex diuina diſpoſitione, nulla in mari veſtigia reliquerunt Iſraelitæ, Pharao tamen eiuſque exercitus quàm plurima.*

§. 14. *Deus vt iuſtus vult inire rationem, ſicut cum Cain, & de facto illam init: cum ait:* Quanta audiuimus *&c.*

§. 15. *Si velis id tecum agat Deus, quod cum altero, idem tu quod alter cum Deo adimple.*

§. 16. Non eſt propheta ſine honore. *Honorem Chriſtus prætendebat, non tam ſibi, quam in ipſorum hominum beneficium.*

§. 17. *Vt Dei miniſtri opera faciant, debent in honore haberi, ea de cauſa illis dat faciendi miracula poteſtatem.*

§. 18. In patria ſua. *Quia à ſuis contribulibus homines deſpiciuntur, vult Deus, vt ſui ſint miniſtri, velut extranei.*

§. 19. In patria tua. *Quod quiſquam à ſuis non magni fiat contribulibus, oritur cum ex ſuperbia, tum ex inuidia: vnde Chriſtus illis imputat culpam.*

§. 20. Multi prophetæ. *Elias tantum à ſuis fuit deſpectus contribulibus, quantum ab extraneis, & vidua, habitus in honore.*

§. 21. Multi leproſi. *Eliſeus, quantum à ſibi cognatis fuit deſpectus, tantum fuit ab alienigenis, nominatim autem à Naaman amplificatus.*

§. 22. Repleti ſunt ira. *Pupigit illos, gentilium, quos execrabantur exemplum, & illos Dominus deſeruit: quod ſupremum omnium eſt ſupplicium.*

§. 23. *Ipſis Nazarenis ſpectantibus ſe de illorum Chriſtus eripit manibus, dum eum deorſum cogitant præcipitare: cum hoc Deo ſit proprium, præclariora ſua opera facere in oculis inimicorum, qui nec illa poſſint impedire.*